



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Connimbricensi Academia
Sacrarum Litterarum primarii Professoris Opvs, De Virtute
Et Statu Religionis**

Qvo Quid Contineatvr, Index proximus indicabit

De Obligationibus, Quæ Religiosum Constitvunt, vel ad illum disponunt

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1625

III. Ad quid obliget, & ad quam materiam se extendat simplex obedientiæ
votum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93480](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93480)

includit conditionem pendentem ab aliena voluntate, quod longe diuersum est: nam qui vouet ingredi religionem, si pater consentire, nullam obligationem patris facit, & nihilominus obligatio voti pendet ex consensu, & quasi acceptatione patris, quia intentione conditionata factum fuit: ita ergo in præfenti dicendum est, si votum prædicto modo fiat.

Iam verò superest alter sensus questionis, scilicet, quo istorum modorum de facto fiat, seu interpretandum sit obedientiæ votum. Nam D. Thomas significat fieri priori modo, id est, cum adiuncta humana promissione: Soto verò sentit potius fieri posteriori modo, id est, purè & solitarie. Mihi autem videtur, quatenus questio hæc tantum est de humano facto, quod pendet ex libera intentione operantis, nihil firmiter in eis statui posse, sed ad vouentis intentionem esse recurrendum, & ubi de illa satis non constiterit, coniecturis esse vtendum: quatenus verò hoc non solum ex facto, sed etiam ex iure pendere potest, ita vt ex iure ipso (sub quo consuetudinem comprehendit) factum colligatur, probabiliter esse D. Thomæ sententiam. Declaratur, nam votum obedientiæ fieri potest, aut in religione aliqua, aut priuatim extra religionem: de priori loquitur specialiter D. Thomas & de illo probabiliter est tale votum adiunctam habere promissionem homini factam, quia & ex iure & ex consuetudine id factis colligitur, & ex fine, seu effectu, quia ex vi talis voti potest vouens cogi à Prælatoad obseruantiam Regularum. Quæ omnia ex dicendis de statu religionis euidentius constabunt. De posteriori autem modo vouendi obedientiam, nihil D. Thom. loquutus est, nec immerito, quia neque ex iure, neque ex consuetudine certum modum habet. Quoad hoc ergo inquirenda est intentio vouentis, & coniecturis vtendum. Regulariter autè loquendo, verosimilius videtur tale votum pure fieri soli Deo absque adiuncta humana promissione: quia & forma sic vouendi, & intentio tam vouentium, quam eorum quibus obedientia danda est, talis esse videtur: vt, v.g. solet aliquando nouitius intra probationis annum tria vota simplicia priuatim emitte, per quæ nec potestatem specialiter præbere intendit, sed solum se obligare Deo: neque ipsi Prælati aliquam potestatem, vel ius proprium acceptare intendunt, est ergo ibi votum obedientiæ pure sine humana promissione. Idemq; modus vouendi esse videtur quoties priuata persona promittit obedire confessori, v.g. Ratio supra insinuata probabilis est, quia per tale votum non intenditur aliquod commodum eius cui fit promissio, sed solum sacrificium illud voluntatis, quod Deo fit, respectu talis personæ; quæ ratio non habet locum in religioso, quia licet præcipue intendat spirituale commodum, tamen ad hoc ipsum pacificatur cum religione, cui se tradit: quod genus pacti in alio voto simplici non reperitur, vnde nec per illud datur potestas aliqua quasi coactiua, vel dominatiua ei cui obedientia promittitur, sicut per votum religionis fit. Ita ergo iudicandum videretur de hoc voto simplici obedientiæ, quoties aliud tam ex intentione vouentis, quam ex parte acceptantis non constiterit.

Addo insuper Ecclesiastico iure videri statutum, vt per huiusmodi votum nemo possit valide alteri in seipsum potestas dare, nisi talis modus traditionis, & voti ab Ecclesia probatus sit: quia vbi Ecclesia vult statum religiosum fieri absque approbatione sua (cap. vnico, de relig. domib. & in Ex. rauag. *Sanc. Romanæ* Ioan. XXI. de relig. domib.) eo ipso hoc etiam traditionis, & dominationis genus prohibuisse videtur. Potest enim Ecclesia huiusmodi contractus humanos irritos facere, si non fiant modo ab ipsa rescripto, & licet in præfenti quoad simplices promissiones

id non fecerit, quoad traditionem autem per translationem verè potestatis dominatiua id fecisse videtur.

CAPITULUM III.

Ad quid obliget, & ad quam materiam se extendat simplex obedientiæ votum.

Difficile profectò est certum terminum, aut modum obligationi huius voti ex parte materiæ eius præfigere: in voto enim obedientiæ, quod in religione fit, solet materia iuxta regulam talis religionis limitari, vt infra videbimus; hic autem nulla est particularis, iuxta quam hæc obedientia promittatur: vnde ergo poterimus designare certos terminos huius obligationis? Dicit fortasse aliquis, tale votum nullum habere terminum, nec regulam præter prudentis arbitrium eius, cui obedientia promittitur, itaq; obligabit hoc votum ad quodcumq; licitum & honestum, solumq; excludentur ea quæ mala sunt. At hoc profectò incredibile apparet, quia hoc votum non est excellentius, quam sit votum obedientiæ religiosæ: sed obedientia religiosa non tam late patet: ergo neque illud votum. Item quia incredibile est, cum qui sic vouet obedientiam, posse obligari ad quæcumque opera penitentia, v.g. orationis, vel contemplationis, peregrinationis, & similia.

De hac re nihil inuenio dictum in particulari ab auctoribus, ex his verò quæ vel de obedientia in cõmuni, vel de obedientia religiosa docent, cum proportione sumenda est ratio huius obligationis, & limitatio materiæ eius. Primò ergo in tali obedientia subintelligendæ sunt cõmunes conditiones, scilicet, qd sit de re possibili, & honesta, quæ conditiones per se satis claræ sunt ex doctrina Augusti. serm. 6. de verbis Domini, & habetur in c. *qui resistit* 11. q. 3. & Ambr. lib. de Paradis. c. 6. & ex alijs quæ referuntur ex c. *non semper*, v. l. q. ad cap. *Imperatores*, eadem 11. q. 3. Adde verò in præfenti non solum esse necessarium vt opus sit bonum, sed etiã vt non sit impeditiuum maioris boni. Cuius ratio est, quia hoc votum obedientiæ per se ordinatur ad maiorem perfectionem vouentis: ergo non est verisimile voluisse obligari ad obediendum in his, quæ ex se sunt impedimenta perfectionis, quæ sunt opera impeditiua maioris boni. Et confirmatur primò, nam de religioso dixit D. Thomas quod lib. 1. q. 8. a. 15. & quod lib. 1. q. 5. art. 10. non obligari ad obediendum Prælati, si præcipiat cõtra regulam, quia respectu religiosi illa opera essent impeditiua maioris boni: ergo eadem proportione censendum est in præfenti de omnibus operibus repugnantibus meliori bono. Hoc verò præcipue intelligendum est de illo opere, quod ex se habet excludere maius bonum, vt est, v.g. matrimonium, nam si tale opus immediate non potest promitti per votum, nec comprehendendi poterit sub obedientia per votum promissa. Hinc etiam non poterit quis ex vi talis obedientiæ impediri ne statum religionis assumat, vel si religiosus fieri velit, non poterit obligari, vt in religione laxiori, omiſſa strictiori id faciat, quia hoc esset impedire illi maius bonum.

Dices, ergo eadem ratione non poterit quis ex vi talis voti obligari, vt legat, v.g. quia posset excusari dicendo se impediri à contemplatione quæ est maius bonum: & ob eandem rationem non poterit obligari ad non ieiunandum, vel ad omissionem similis operis: quia opus illud melius est, quàm eius omiſſio, tam secundum se, vt constat, quam in tali persona; cum alias non teneatur ex aliqua regula ad determinatas actiones, vt supponimus. Respondetur primò, non esse similem rationem, neque actiones has particulares etiam ex genere suo inferiores sint in gradu perfectionis, quàm alia; proprie dici posse impeditiua maioris boni, vt supra declarauimus tractando de materia

voti in generali: quia & ex se non excludunt alias actiones meliores, & quibus ex sola specie non sint æque præfæta, ob circumstantias & accidentalia motiua, possunt esse Deo gratiores. Inter quæ motiua vnum grauissimū est implere promissionē factam Deo per votum obedientiæ, in quo est humilitas & abnegatio proprii iudicij exercetur: quo modo etiā omisso boni operis, non præcepti alias, potest esse magis meritoria corā Deo, quam ipsum opus, quia licet ipsa omisso non videatur in se habere formalem bonitatem, voluntas omittendi ex obedientiā maximum bonū esse potest: sicut è contrario opus ex se bonum contra obedientiam factum, est malum: sic enim dictum est à Daniele Abbate apud Cassianum collat. 4. cap. 20. *Tantiū est Abbatu trānsire præceptum vt legas, quantum si contemnas vt dormias.* & Greg. 35. Moral. c. 12. *Sciendum inquit est qd nunquam per obedientiam malum fieri, aliquādo autē per obedientiam debet quod agitur intermitteri.* habetur in c. *quid ergo* 11. q. 3. & similia sumi possunt ex August. serm. 5. ad Fratres in Eremo. Propriè igitur solū illud opus dicitur in præsentij impeditiuum maioris boni quod ex se excludit statum maioris perfectionis.

4. Sed quid si non tantum in vno, vel alio opere, sed in vniuersum in toto viuendi modo talis superior propriā voluntate & priuato ac simplici voto obedientiæ assumptus ea opera, eamq; viuendi rationē subdito præscribat, quæ ipsum impediret potius quam iuuaret ad profectū virtutis, teneretur ne nihilominus illi obedire? Respondeo hoc in primis multum pendere ex intentione quam subditus à principio in vouendo habuit. nam hæc est potissima regula huius obligationis, quomodo autem hoc coniectari possit, statim declarabitur quoad fieri possit. Si autē ex defectu intentionis vouentis non potest excusari talis obligatio, & alioqui nullum opus in particulari sumptum ex his, quæ sub obedientiam iniunguntur, malum est, nec per se affert molem occasionem alicuius mali, etiā in indiuiduo, & in particulari sumptu, & alioqui potest esse vile ad virtutem, si homo velit recta intentione & modo illud operari, neminē potest excusari ab executione obedientiæ quam promisit, eo solo titulo, quod impediatur maiorem profectum virtutis, quia hoc accidere potest ex defectu operantis, non autem est per se, quod præcipue considerandum est ad voti obligationem, & ideo in huiusmodi euentu procurandū potius est ne superior tali opera iniungat, qd ipse facere tenebitur, intellecta sufficienti dispositione subditi: si autem nolit, vel parēdum est, vel aliud remedium procurandum ab habente potestatem, iuxta ea quæ dicemus sequenti capite.

5. *Dubitatio, an in dubio tenetur obedire.*
Vltimò circa hæc conditionem honestatis inquiri potest, an in casu dubio debeat vel possit huiusmodi subditus obedire. Quamuis enim generalis doctrina sit, in dubio obediendum esse superiori iuxta doctrinam August. 22. contra Faustum c. 74. & 75 & habetur in c. *quid culpatur* 23. q. 1. q. in materia de conscientia latius explicatur: nihilominus hic est specialis difficultas, quia ille, cui obediendum est, non est propriè superior, ita vt habeat potestatem iurisdictionis, & ex hac parte non habet quasi ius in re, ratione cuius obediendum est superiori in casu dubio. Ergo solum relinquitur illud præceptum sub generali regula materiæ voti. Regula autē in superioribus posita est, eum qui dubitat de voto, nō obligari ad executionē eius, ex qua videtur sequi alia, scilicet, eum qui dubitat in particulari, an hæc sit materia voti, si facta diligentia non possit dubium expellere, non obligari ad obsequandū votum in tali materia: vt si quis habeat votū dandi eleemosynam omni pauperi petenti, & in particulari dubitet, an hic qui petit sit pauper, non tenebitur ex vi voti illi dare eleemosynam: ergo similiter in presenti, si dubitatur, an quod præcipitur honestum sit,

non tenebitur obedire; qd si nō tenetur, nec licite potest, quia in dubio securior pars est eligenda, tunc autem nō obedire securior est, quia nec frāgitur votum, neq; operans exponit se periculo faciendi aliquid qd honestum non est. Item quia hic cessat ratio, ob quā in dubio obediendum est Prælato, ne priuatur iure suo, cum in dubio melior sit conditio possidentis; hic autem superior nullum habet proprium ius.

6. Respondeo probabile mihi esse in eo casu non teneri aliquem ad obediendum ex vi huius voti obedientiæ omnino, ac purè simplicis, propter rationem factam. Dices, ergo nec religiosus tenebitur obedire in simili dubio. Respondetur negando consequentiam, quia Prælati religionis non solū præcipit, ratione voti, sed etiā per iurisdictionem, qd habet à Pontifice. Sed contra, nam hæc iurdictio non est per se requisita ad statū religiosum, vt infra ostendemus; separatur ergo, sicut de facto separatur in religione Monialium respectu Abbatissæ, tunc ergo procedet argumentum, & æquiparatio facta. Fortasse non deerunt qui rotū cōcedant, neq; enim improbable videtur Abbatissam non posse ex voto obedientiæ obligare moniale ad aliquid faciendū in casu dubio de honestate operis iniuncti. Et potest hoc cōfirmari ex differentia inter votū, & legem, nam voti obligatio pendet ex propria voluntate, & intentione: qui autē promittit, non videtur intendere se obligare, nisi in materia certa: ita ergo præsumendum est, quoties aliud non explicatur; vt vero legis obligatio est ab extrinseca potestate, & alio deo aliunde mensuranda est, scilicet ex iure præcipientis.

Adde vero negari etiam posse illationem illam, est enim differentia inter hoc votum simplex, & votum religiosi, quod in religioso habet traditionem adiunctam, per quam religio & Prælati eius acquirunt quoddam dominium, & ius in religiosum, ratione cuius non habet locum in eo principium illud, *In dubio melior est conditio possidentis*: vnde non potest tunc excusari religiosus, eo qd non habuerit intentionem se obligandi pro tali casu; nam eo ipso quod voluit se tradere, & ius in seipsum simpliciter transferre in alium, necessario voluit quid quid ex illo statu intrinsece sequitur. At vero qui emisit purum simplex votum obedientiæ, nullum ius in alium transtulit, sed pura promissione se obligauit, & ideo semper manet quasi possessor suæ libertatis, quamuis ligatam illam habeat; ac proinde in casu dubio potest ius suum præferre, & non exequi mandatum alterius. Nam tunc etiam (quod rem confirmat) dubium est, an illud sit mandatum, quia, vt supra dixi, illud non est mandatum proprium per respectum ad potestatem imperantis, sed solum est quædam applicatio materiæ voti: vnde sicut est dubia illa materia, ita etiā est dubiū, an illud sit mandatum, eo modo, quo esse potest.

Nihilominus tamen consensio licita esse in eo casu dubio obedire, imo & regulariter esse melius. Propter hoc batur, quia licet fortasse nō teneatur quis exequi votum in materia dubia, potest tamen & optime fieri, si Dices, hoc esse verum, quando materia illa citra omnem ne dubium honesta est, vel saltem non mala, vt in exemplo de eleemosyna supra posito, quia tunc nihil est periculi in exequendo voto, etiam si fortasse non obliget: secus autē videtur esse, quando dubium de obligatione voti oritur ex dubio de honestate operis. Sed licet negari non possit esse in hoc aliquam rationem dissimilitudinis, & maioris difficultatis, nihilominus ratio facta procedit, quia illud dubiū honestatis cōpescitur ex probabilitate implendi voti, & ideo licita est optio inter illa duo. Quod explicatio hinc modū, satisfaciendo simul rationi prius factæ, quæ vel est timor de periculo committendi aliquid mali materialiter tantum, vel formaliter. Præmodo in vno.

utroque reperitur, nam sicut si fortasse opus, de quo est dubium, malum in re ipsa sit, & fiat, malum aliquid fit ita si fortasse opus illud bonum sit, & non fiat, omittitur aliquid quod re ipsa sub tali voto comprehenditur, quæ omisso etiam est quoddam materiale malum. Secundo autem modo, in neutro casu est periculum mali, quia ex utroque capite potest illud periculum prædicæ auferri, sicut enim non censetur esse periculum practicum in non obediendo, quia probabiliter formatur iudicium practicum, quod in eo casu votum non obliget, ita etiam ad obediendum potest formari iudicium practicum; quod liceat hinc & nunc dubiam conscientiam deponere, & iudicio præcipientis se conformare, & illi se subdere, eo quod ratione voti illum habeat vice Dei. Vnde ad formandam hanc conscientiam practicam non est necessarium, ut quis iudicet se teneri ad obediendum, sed satis est ut per extrinsecas principia possit se subdere alterius iudicio.

Dices, hoc modo etiam sine voto licebit in re dubia obsequii voluntati alterius propriam conscientiam deponendo, & alienæ se conformando. Respondeo, aliquando hoc licere, si probitas & conscientia alterius tanta sit, ut mihi facere sufficiat opinionem probabilem, quod est satis ut proprie ac formaliter tollatur dubium: at vero in nostro casu, non solum hac ratione licet, sed specialiter ratione voti in reuerentiam eius, & ne omittatur id quod fortasse sub illius materia continebatur. Vnde ut liceat sic obedire, non semper necesse est, ut persona præcipiens per se sufficiat opinionem facere probabilem, sed satis est quod nulla sit probabilis ratio suspicandi illum temere, aut ex malitia præcipere, non obstante dubio in subdito existente. Et hæc sufficiant pro priori conditione honestatis.

Circa alteram conditionem possibilitatis, dubitanti multa possunt, quia certum est non esse tam intelligendam de possibilitate physica, quæ per se manifesta est, sed etiam de possibilitate morali, quæ excludit nimiam & extraordinariam difficultatem, & hinc nascuntur dubia, quia possibilitas hæc magnam habet latitudinem, quanam difficultas excuset, vel potius excludat actionem à latitudine materię talis voti. In quare in primis seruari possunt quæ supra dicta sunt de impossibilitate morali excusante ab obligatione voti, quam diximus mensurandam esse ex probabili, seu coniecturali intentione vouentis. Ita enim in præfati dicendum est, si tanta sit operis difficultas, ut considerata conditione personæ, & statu eius, non sit verisimile voluisse se obligare ad obediendum in rebus tam arduis, ac difficilibus, tunc tale opus non comprehenditur sub materia talis voti, quia amplitudo voti pendet ex intentione vouentis, cumque non sit verisimile, nec rationi consentaneum, ut aliquis se obliget ad obediendum in omnibus sine illa limitatione in difficultate, & varietate operum, necessarium semper est recurrere ad coniecturam intentionem vouentis. Quæ maximè locum habent, quando difficultas operis extrinseca est, & accidentaria, seu extrinsecata: nam utrumque sicut minus potuit sub cogitationem cadere, ita etiam verisimilius est non cecidisse sub intentionem vouentis. Quando vero difficultas est intrinseca, qualis est in ingressu religionis, diuturna contemplatione, aut magna vitæ austeritate, tunc ex alijs circumstantijs, præsertim vero ex statu personæ, faciendæ est coniectura, quæ omnia in sequenti puncto melius exponuntur.

Secundo ergo principaliter dicendum est votum hoc semper habere limitatam materiam, quoad varietatem, multitudinem, perfectionem, ac difficultatem præcipiendorum operum per proportionem ad personam vouentem, & ad statum seu viuendi

modum, quem profitetur. Ratio totius assertionis ex dictis fere nota est, nam prior pars in eo fundatur, quod alias votum esset indiscretum, & inhumanum, ut sic dicam: altera vero pars in eo fundatur, quod nulla occurrit magis accommodata ratio cõiectandi intentionem vouentis, neque vlla etiam rationalior moderatio. Et declaratur ex proportione ad votum obedientiæ religiôsæ, cuius materia limitatur iuxta regulam, quia secundum illam constituitur status, & ratio vitæ religiôsæ: cum ergo secularis persona non habeat certam regulam præter communia præcepta Dei & Ecclesiæ, pro regula sumenda est proportio, seu congruitas ad statum eius: nam quæ est proportio religiôsæ ad statum suum, est in tali persona in ordine ad suum honestum viuendi modum. Item, quia, moraliter loquendo, qui tale votum emittit, nihil aliud intendit, quam in illo viuendi modo, quem habet, perfici, & conuenienter dirigi, ac gubernari, quod magis elucidabitur ad aliquod particulare descendendo.

Ex hac ergo regula sequitur primo, sub tali voto non comprehendenda, quæ pertinent ad mutationem status, quod intelligo, regulariter loquendo, & nisi aliud sufficienter constet de intentione vouentis. Probatur primo ex dictis, quia mutare statum non pertinet ad gubernationem proportionatam præfati statui, immo quodammodo illi repugnat: sicut religiôsus ex vi voti obedientiæ non potest obligari ad mutandum statum etiam in melius. Vnde arguimur secundo, quia vel ille status est inferior, & impediens maius bonum, & de hoc iam ostensum est non posse cadere sub tale votum, vel est superior status & perfectionis, & hunc etiam verisimile non est comprehendere sub tali voto, tum quia est res adeo difficilis, & ardua, ut nemo præsumatur ad illam se obligare, nisi per directam voluntatem ac promissionem: tum etiam, quia alias votum illud obedientiæ esset virtuale votum religionis saltem sub ea conditione, si Petrus, v.g. præcepit, hoc autem est contra intentionem sic vouentium, immo quodammodo videtur contra naturam talis voti, nam obligaret ad aliquid quod ipsummet votum euacuaret, subtrahendo illi materiam. Vnde iuxta communem vñum qui vult obligari ad religionem, si alter consentiat, nunquam id facit per votum obedientiæ, sed aut per votum sequendi consilium alterius in ea materia, vel per votum religionis cum ea conditione, ut alter consentiat.

Sed quæres, an ex vi huius voti obedientiæ possit quispiam obligari saltem ut non assumat inferiorem statum, v.g. ut vidua, aut virgo non contrahat matrimonium. Respondeo, si talis persona non sit alias ex voto proprio obligata ad castitatem, vel ad non nubendum, non posse ad hoc obligari ex præcepto obedientiæ, etiam si alicui confessori, vel Præfato absolute & indistincte obedientiam promiserit propter rationes factas, quæ hinc cum proportione applicari possunt. Est enim materia illa secundum communem estimationem & modum pertinens ad distinctum votum, & ideo non censetur comprehendere sub materia obedientiæ promissæ, nisi aliunde hoc satis constet ex intentione vouentis: at vero si talis persona ex proprio voto teneretur non nubere, verisimilius est, posse etiam in virtute obedientiæ promissæ obligari ad non nubendum, & ad vitandum omne consortium, omnemque actionem quæ ad talem finem ordinari possit; quia supposita aliunde obligatione, iam pertinet ad conuenientem gubernationem talis personæ in tali statu tota illa prouidentia, & prohibitio: sicut etiam religiôsus potest per obedientiam gubernari in omnibus, quæ pertinent ad custodiam castitatis: & ipsa eadem persona secularis, licet castitatem

12.
Hoc votum non obligat nisi ad mutationem status.

13.
Non obligat ad non assumendum inferiorem statum aliquando.

non vouisset, posset in virtute obedientia promissa obligati ad cauenda pericula, vel occasiones peccandi contra conscientiam naturali legi debitam.

14. Dices, ergo proportionali ratione poterit obligari propter obseruantiam ipsiusmet voti obedientia, vt matrimonium non contrahat, nec se subtrahat ab obedientia promissa. Supponimus enim tale votum esse perpetuum, seu de obedientia semper praestanda tali personae, vel Praelato; at vero si vouens mutet statum, eo ipso fit inhabilis ad obediendum: ergo potest in virtute eiusdem obedientia prohiberi, quando ille status est inferior, vt est matrimonium. Nam si esset superior, vt est religio, non posset, nam in quolibet voto intelligitur subintellecta conditio melioris boni, quae non habet locum respectu inferioris status. Respondetur negando sequelam, neque enim putamus actum illum contrahendi matrimonium esse contrarium illi voto obedientia, per se loquendo, quia materiae sunt adeo diuersae, vt vna in alia non includatur, sicut ostensum est: esset autem contrarius si per illum actum redderetur persona inhabilis ad implendum quod promiserat. Dicitur ergo potest perpetuitatem illius obedientia non intelligi simpliciter promissam, sed durante illo statu, in quo promittitur, vel potius durante carentia alterius status, ad quam carentiam non obligatur quis ex vitalis voti. Vel secundo dici potest, non fieri talem personam inhabilem ad seruandum votum illud modo suo statui accommodato; nam licet quis in matrimonio positus, leges matrimonij seruare debeat, optime potest in his quae pertinent ad salutem animae suae illi parere cui obedientiam promiserat; imo hinc poterit multum iuari ad ipsas leges matrimonij seruandas: sic enim illi qui sunt tertij ordinis, etiam coniugati, obedientiam promittere solebant, vt constat ex glossa in Clement. *Cum ex eo*, de sentent. excomm. verbo *Tertio*, iuncta glossa in Clement. i. de religiof. domib. verbo *Obedientiam*.

15. Ex quo obiter infero, hoc votum simplex obedientia non necessario esse connexum cum alijs duobus paupertatis, aut castitatis. Quod est manifestum, quia materiae illorum votorum non sunt necessario connexae cum materia huius voti, & alioqui promissiones ipsae voluntariae sunt: ergo possunt simul vel diuisim fieri pro arbitrio vouentis. Itē de castitate quantum spectat ad materiam eius voluntariam, hoc satis constat ex dictis, quantum vero ad materiam necessariam, alias praecipiam, a fortiori constat non esse necessarium votum eius, quamuis indirecte ex obedientia promissa possit quis obligari ad ea, quae necessaria fuerint ad custodiam talis castitatis. De paupertate res etiam est manifesta, & vni etiam recepta, & sequitur etiam ex praecedenti, nam si coniugatus potest promittere obedientiam, cur non etiam diues, seu habens rerum dominium? quod regulariter coniunctum est, vel saltem esse potest cum coniugio. Semper tamen intelligitur haec obedientia accommodata statui, vt dixi, & ideo non potest ex vi illius, si persona sit diues, obligari ad paupertatem seruandam, quia haec iam esset mutatio status, sed obligari poterit ad vtendum diuitijs conuenienter suo statui, tam quoad eleemosynas, quam quoad alia pietatis opera, habita ratione status familiae, &c.

16. Praeterea ex eodem principio intelligi potest, quoniam persona possint hoc votum obedientia emitte-
re. Dicendum est enim generaliter loquendo, quilibet personas cuiuscumque conditionis sint, posse hoc votum emitte, quia semper debet intelligi obedientia accommodata conditioni personae, & maxime non repugnans alteri obligationi maiori, quae tali personae inlit. Si enim hoc obseruetur, nulla est ratio ob quam persona aliqua a voti huius capacitate, & com-

moditate excludatur. Maxime vero videntur apti ad hoc votum seculares homines, qui sui iuris sunt, & vitam caelibem seruant. Nam religiosi iam habent suum proprium & excellentius obedientiae votum, quod eis sufficit, quamuis absolute non repugnet aliud illi adiungi, vt statim dicam. Deinde homines, qui sunt sub alterius potestate, vt filii familias, & serui, minus indigent hoc voto, minusque apti ad illud sunt; quia iam habent a quo regantur, eique obedientiam debeant. Non tamen sunt omnino incapaces, quia in his quae pertinent ad bonum & perfectionem animae, sui iuris sunt, nec tenentur in omnibus his materijs, parere dominis, vel parentibus, sed liberi sunt in illis actibus pietatis, qui dominio, vel iuri paterno non repugnant: in his ergo poterunt haec personae alicui spirituali patri obedientiam promittere, quod solum poterit illa vti sine praedictio alterius domini, vel parentis. Et quoad hoc eadem est ratio de vxore respectu mariti, imo etiam suo modo, & seruata proportione in viro idem seruandum est, nam, licet non sit subditus vxori, suum tamen officium illi debet, & hac ratione dixi caelibem vitam agentes esse magis aptos ad hoc voti genus emittendam.

Hic vero specialiter inquiri potest, an summus etiam Pontifex sit capax huius voti; cum enim sit super omnes ex diuino iure, non videtur posse alicui se subdere propria voluntate. Item nullus superior potest se subdere subdito suo, Pontifex autem, si in eo statu perseveret, non potest non habere reliquos omnes sibi subditos: ergo nulli potest se subdere per obedientiam votum. Vnde religiosus qui ad Pontificatum assumitur, quamuis votum obedientiae retineat quasi in habitu, & illo obligetur quasi in preparatione animi, quia si renuntiaret Pontificatui, posset illo obligari, tamen ad vsum obedientiae non tenetur in eo statu, nec videtur posse obligari eo durante ob eandem causam. Nihilominus etiam persona Pontificis non videtur incapax huius voti, si speciali voluntate velit illud emitte, in illo statu, & pro illo statu, etiam quoad vsum eius. Quod ita declaratur, quia licet Pontifex sit supremus quoad iurisdictionem Ecclesiasticam, & ideo secundum illam non possit fieri subditus, praesertim quoad exteriorem iurisdictionem, id est, non sacramentalem, non tamen repugnat, quod voto se obliget ad aliquem operandi modum, quia talis obligatio Deo fit. Vnde potest vouere, non dispensare, v. g. nisi ex tali, vel tali consilio, vel ieiunare, aut orare, si Petrus, v. g. expedire iudicauerit: ergo etiam potest vouere operari iuxta voluntatem alicuius, quod est promittere obedientiam, de qua agimus; quia haec obedientia non requirit iurisdictionem, sed fit quasi per applicationem materiae voti, vt supra explicauimus, quae materia non habet repugnantiam cum dignitate Pontificia, vt explicat ratio facta.

Neque etiam habet indecentiam, praesertim si a tali voto excludatur omnis potestas dominatiua, & quasi coactiua, ex parte eius cui obediendum erit, nam haec certe repugnat videtur cum Pontificia dignitate. Et ideo hic non agimus de pacto, seu promissione humana, per quam haec potestas dari potest, sed de puro voto ad Deum, hoc enim nec ex parte voti habet indecentiam, neque ex parte materiae, seu modi talis voti, quia posset alterius voluntas tam recta, & prudenter operans aestimari, vt conueniens iudicatur illam in operando sequi. Praesertim si is qui supremam habet potestatem, aliquid periculi sentiat male vtendi illa propter aliquem proprium affectum, & aptum remedium esse existimet alterius sequi voluntatem. Quod maxime videtur posse habere locum in vno vel altero genere actionum, licet pro tota vouendi ratione in priuatis actionibus, quae in publicis minore de-
centia habere videatur. Sed nunc non tractamus quid
expo

expediat, hoc enim prudentia potius est negotium, penderq; ex consideratione particularium circumstantiarum: sed solum dicimus, quid fieri possit, & non repugnet illi statui, ac Pontificiæ dignitati.

19. Vnde ad obiectiones consequenter dicamus, non repugnare, illum qui superior est vno titulo esse subditum in alio foro, vel alio modo: sic enim summus Pontifex licet absolutus sit supremus pastor in ecclesiastico foro, subditus est suo Confessori in foro penitentiarum; & eadem ratione potest se subdere vi promissionis & voti, quæ est subiectio longe alterius rationis, imo & improprie seclusa iurisdictione, & potestate dominatiua. Atq; eadem ratione idem dicendum censo de Episcopo respectu alterius inferioris, & in vniuersum de quo cumq; superiore respectu sui subditi. Ita vt etiam religiosus Prelatus, qui ex vi suæ professionis non tenetur obedire specialiter Confessori suo, possit, si velit, per alium simplex votum ei obedientiam promittere. Semper tamen iuxta regulam positam tale votum intelligitur accommodare ad statum promittentis, ideoq; non extenditur ad ea, quæ repugnant eius officio, ac iurisdictioni.

20. Vltimo deniq; ex dictis concluditur, sub materia huius voti non comprehendi omnia opera virtutis, etiam si non sint directe pugnantia cum statu vouentis, sed tantum sint omnino extranea & aliena ab statu vouentis. Hoc colligitur ex communi doctrina, quæ de religiosis omnes tradunt, vt infra videbimus. quæ cum proportione in præsentem explicanda est, secundum prudentem considerationem status, cum aliam regulam nõ habeamus, vt dictum est. Exempla sunt, si vni nobilis, secularis ac diues promittat obedientiam Confessori suo, non propterea poterit illi præcipere, vt vilioribus vestibus utatur, quam deceat statui suo, aut quod viles, & abiectas actiones publice exerceat, & sic de alijs. De quibus, moraliter loquendo, verisimile non est cecidisse sub intentionem vouentis: hæc enim regula præ oculis habenda, & pensata circumstantijs, ad particulares casus prudenter applicanda.

CAPVT IV.

Quale peccatum sit obedientia transgressio, & quibus modis excusari possit, vel cessare obligatio.

Supposita veritate & existentia huius voti certum est transgressionem eius culpabilem esse, & ex suo genere esse peccatum mortale, cum sit contra obligationem voti, atque adeo contra religionem. Hoc vero posito nonnulla super sunt explicanda. Primum est, quado censendum sit transgressionem seu omissionem obedientie esse talem, vt vera culpa sit. Secundum, supposita culpa, quando censenda sit mortalis. Tertium, quibus modis possit talis culpa excusari, seu vitari. Vbi quarto loco aliquid addemus de huius voti dispensatione.

Circa primum difficultas est, an quoties superior (ita enim semper appellabimus eum qui obedientia est promissa) significat voluntatem suam circa aliquid agendum, culpa sit illud non facere, siue mortalis siue venialis, ita tamen, vt reuera sit aliqualis votum transgressio. Et est ratio dubij, quia supra diximus, hoc votum quatenus est promissio ad Deum, nihil aliud esse quam promissionem faciendi quod alius voluerit, & æquiparari promissioni conditionatæ, si alius consenserit, vel ita iudicauerit, quæ obligat impleta conditione; hæc autem impletur conditio hoc ipso quod superior voluntatem suam sufficienter significat. Deinde dictum est in huiusmodi obedientiæ genere non tam esse proprium præceptum, quam applicationem materiæ voti; sed hæc applicatio non in alio consistit, nisi in hoc, quod superior ostendit voluntatem suam, nam illa est qua-

si proxima materia huius voti: ergo. Tandem in eo casu sequi voluntatem superioris est actus obedientiæ, & in præsentem potius religionis: ergo è contrario discordare à tali voluntate est cõtra votum: nam hæc non videtur posse esse mediũ, nam si actus obedientiæ participet honestatem religionis, necesse est vt fiat ex voto: ergo ex obligatione voti; nihil enim cadit sub voto, nisi quatenus cadit sub obligationem eius: ergo è contrario omisso actus est contra obligationem voti, atque adeo aliqua culpa contra votum. In contrarium vero est, quia etiam in religiosis talis omisso nõ censetur proprie esse contra votum: ergo multo minus erit in voto simplici obedientiæ.

Circa hoc aduertendum est multiplicem esse posse superioris voluntatem. Vna est simplicis complacentiæ ad rem illam, seu desiderij, vt talis res fiat per voluntatem solum inefficacem, quæ conditionata dicitur, seu velleitas. Et de hac certum est quantumuis expresse significetur per hæc verba, *Vellem, aus desidero vt hoc faciat*, vel similia, non sufficere ad obligandum, & consequenter nec satis esse ad culpam in non obsequendo, vt sic loquamur. Ratio est, quia illa est tantum voluntas secundum quid, quæ per se non sufficit ad obligationem inducendam: vnde, nec Deo ipsi talem voluntatem ostendenti tenemur conformari, vt in Concilijs manifestum est. Qui autem promittit obedire, non promittit exequi omnia desideria superioris, nec sequi voluntatem eius secundum quid, sed simpliciter.

Est ergo in superiore alia voluntas absoluta, & efficax: hæc autem vterius duplex in præsentem cogitari potest: vna de sola actione, vt, *Voloe hoc facere*; alia etiam formaliter de obligatione, vt, *Voloe te obligare ad hoc faciendum*. Quæ duæ voluntates adeo distinctæ sunt, vt in legibus retendis prima voluntas nec necessaria sit, nec efficax: ad legis obligationem: secunda vero omnino necessaria & sufficiens sit: Deus enim cum præcepto suo obligauit Abraham ad sacrificandum filium, absolute non voluit vt illum sacrificaret, imo potius noluit, voluit tamen illum obligare ad id faciendum, & exequendum, nisi reuocaretur præceptum. Item efficaciter voluit me esse religiosum, & mihi non imposuit eius rei præceptum: è contrario vero cum præcepit Adæ, vt non comederet, absolute & efficaciter voluit ipsum nõ comedere. Constat ergo has duas voluntates secundum se distinctas esse; an vero in præsentem materia distingui valeant, difficultate non caret, vt iam dicam. Constat subinde posteriorem voluntatem sufficienter significatam sufficientem esse, vt votum obliget, & vt illi repugnare, sacrilegium, contra votum sit. Hoc sufficienter conuincunt rationes dubitandi in principio positæ. Item quia supposito voto tota radix huius obligationis actualis, est voluntas superioris, nulla autem voluntas potest esse aut formalior, aut efficacior.

De priori autem voluntate videtur ex proxime dictis colligi non sufficere, quia non sufficit ad legem, vel ad præceptum. Hic autem occurrit notanda differentia quæ rem hanc reddit difficile: nam in superiore habente iurisdictionem, vel dominium proprium, possumus hæc duo distinguere, voluntatem scilicet, & potestatem iurisdictionis, vel dominij; & ideo optime intelligitur posse velle rem, vel actionem, non volendo vt sua iurisdictione circa illa, vel è conuerso posse velle applicare suam iurisdictionem ad talem actionem, non volendo absolute executionem ipsius actionis, & ita in huiusmodi superiore distinguuntur optime illæ duæ voluntates. At vero in præsentem casu nulla in superiore supponitur iurdictio, neq; ex vi voti simplicis obedientiæ habet specialem potestatem dominatiuam, vt supra declaratum est: ergo in eo non

Notandum primo pro voluntate, duplici esse superioris voluntatem.

Voluntas inefficax nõ obligat.

Notandum secundo voluntatem efficacem ad hoc faciendum.

Voluntas efficax de obligatione operi obligat.

Difficultas circa voluntatem esse causam de sola actione.

pos-